



**R. P. Georgii De Rhodes Avenionensis, È Societate Iesv,
Philosophia Peripatetica, Ad Veram Aristotelis Mentem**

Rhodes, Georges de

Lvgdvni, 1671

Sect. ij. Subiectum habituum, seu quænam potentiæ sint capaces
habituum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95638](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95638)

habitus distinctus. Tota difficultas est in maiori, quam probo euidenter. Illud quod tollit indeterminationem potentia de se indifferentis & incompletæ, necessariò est aliquid se tenens ex parte potentia: illud quod faciliat inclinando ad actum, tollit indeterminationem potentia de se indifferentis, & incompletæ: ergo illud quod faciliat potentiam est aliquid se tenens ex parte potentia. Probatur maior. Si quod tollit indeterminationem potentia indifferentis se teneret solum ex parte obiecti, non autem ex parte potentia, sensus externi essent æquè capaces habituum, ac intellectus; nam in sensibus externis sunt etiam species intensiores, quæ melius representant: consequens est absurdum, nemo enim ponit in sensibus externis habitus: ergo in potentiis indeterminationis requiritur facilitas, quæ se teneat ex parte potentia, non autem ex parte obiecti tantum.

Secunda ratio.

Secundò dantur necessariò habitus facilitantes potentiam, & se tenentes ex parte potentia, si potentia experitur facilitatem quæ provenire non potest à specie impressa: sed intellectus experitur facilitatem ad ferendum iudicium, quæ provenire non potest à specie impressa; nam intellectus in iudicio ferendo experitur sæpe difficultatem, licet initio habeat species obiectorum; & idè non solemus ferre initio iudicium, quamvis sint in nobis species, nisi post magnam inquisitionem, & considerationem. Postquam autem idem iudicium frequenter repetit, longè deinceps est promptior in eo ferendo; quod signum est novi habitus: ergo species non sufficit.

Tertia ratio.

Tertiò probatur à pari de habitibus supernaturalibus, quos certum est distinguere à speciebus; nam potentia essentialiter incompleta debet compleri per aliquid quod se teneat ex parte potentia: potentia naturalis essentialiter incompleta est ad actus supernaturales: ergo debet ad eos compleri per aliquid se tenens ex parte potentia; species autem, ut dixi, tenet se tantum ex parte obiecti, quia est eius loco, & supplet eius absentiam: ergo non sufficit species ad actus supernaturales. Et hoc etiam patet, quia positis quibuscumque speciebus in intellectu, adhuc intellectus insufficiens est ad assentiendum reuelatis: ergo intellectus eget aliquo complemento, quod se teneat ex parte potentia.

Vnde ulterius argumentor. Potest intellectus ad actus supernaturales esse completus ex parte obiecti, manens incompletus ex parte potentia: ergo ad actus etiam naturales potest habere difficultatem ex parte potentia, quamvis sit omninò completus ex parte obiecti. Imò etiam in pueris baptizatis est habitus fidei; neque tamen sunt species mysteriorum: ergo habitus fidei est aliquid diversum à speciebus impressis.

Solutio primæ dubitat.

Ad primam respondeo, dupliciter potentiam posse compleri. Primò ex parte obiecti, quod fit per speciem: secundò ex parte potentia, quod per habitum. Compleri potentiam ex parte obiecti, est potentiam sufficienter uniri cum obiecto; compleri ex parte potentia, est accipere novam actiuitatem, sine qua potentia sit ex se incompleta; distinguere verò debere duplex hoc complementum clare demonstratū est ex actibus supernaturalibus. Illud est habitus, per quod intellectus inclinatur ad assensum tanquam aliquid se tenens ex parte potentia; si autem se teneat tantum ex parte obiecti, non est habitus. Species autem se tenet tantum ex parte obiecti; omnis enim potentia cognoscens, licet quantum est de se, completa sit ad

operandum circa suum obiectum, & parientiam eius cognitionem, quæ imago est obiecti; eget tamen unione cum eo ut determinetur ad unum potius cognoscendum, quam aliud, & ut compleatur non per aliquid quod se teneat ex parte potentia, sed per aliquid quod se teneat ex parte obiecti, quod cum partiale sit principium suæ imaginis, suas quoque partes debet agere, ut existat illa perfecta imago obiecti, seu cognitio. Cum autem obiectum sæpius ablit, substituit sibi speciem vicariam sui muneris, ut sæpe dixi.

Ad secundam respondeo concedendo, posse derivari aliquam facilitatem à specie impressa intensiori, sed illam se tenere solum ex parte obiecti. Hoc autem quid sit, satis constat ex modo dictis.

Ad tertiam respondeo, constare omninò quod positis quibuscumque speciebus, imò & habitibus in intellectu, adhuc in voluntate requiritur habitus specialis. Primò enim, quoad actus supernaturales certum est, fidem esse in intellectu, & præter eam esse in voluntate habitus spei & charitatis. Secundò etiam quoad actus naturales, posita quacumque cognitione obiecti amabilis, manet tamen in voluntate difficultas, quam non vincit nisi habitus voluntatis; experimur enim multos esse Doctores peritissimos, qui veritatem Dei in iniustitia detinent, repletos omni iniquitate, malitia, fornicatione, auaritia; & cetera quæ persequitur Apostolus Roman. 1.

SECTIO II.

Subiectum habituum: seu quenam potentia sit capax habituum.

Explicata quidditate habituum, quæ causa est veluti formalis, venio ad causam materiale, in qua recipi & inharere possunt habitus; ubi quæritur tria possunt. Primò generatim, cuiusmodi potentia sit capax habituum: secundò, utrum potentia irrationales sint capaces habituum: tertiò, utrum eorum sint capaces potentia irrationales.

§. I.

Quenam requirantur ut potentia sit capax habitus.

Certum est primò, nullam potentiam esse posse Deum capacem habituum, nisi sit actiua, atque adeo potentia. Nullos esse posse habitus in corpore, nec in substantia ipsius animæ, licet temperamentum mutetur per multos actus repetitos; ut dixi olim de Rege illo Cambaie, quem refert Bartolomæus lib. 1. historia Indica, solo halitu interfecisse eos quos oderat; muscas, quæ sanguinem fugerent, mortuas concidisse, quia veneno assueuerat. Ratio autem est, quia ibi debet esse habitus, ubi est facilitas operandi: sed huiusmodi facilitas nec est in corpore, nec in substantia ipsius animæ, sed in solis potentia actiua: ergo in illis solis est habitus; si enim habitus faciliat ad agendum, certe non faciliat nisi potentiam agentem. Licet autem corpus assuecat labori, non sequitur tamen habitus esse in corpore, quia induratur quidem corpus, sed facilitas operandi est in ipsa potentia.

Certum est secundò, nullam potentiam esse capacem habituum, nisi sit operatiua immanentem. Ratio est, quia ibi recipitur habitus, ubi est actus: sola

sola potentia immanenter operans recipit actum: ergo illa sola recipit habitum. Probatur maior. Actus debet ibi esse, ubi producit habitum; non enim producit habitum ubi non est: ergo ibi est habitus ubi est actus: sed in sola potentia immanenter operante est actus: ergo in sola etiam illa est habitus.

Potentia indeterminata.

Certum est tertio, potentiam quæ recipit habitum esse debere aliquo modo indeterminatam. Dicitur autem potentia indeterminata hoc loco, non ea tantum quæ libera est, & indifferens ad agendum, vel non agendum; sic enim extra voluntatem nulli essent habitus; sed etiam illa, quæ licet positis omnibus requisitis ad agendum, non possit non agere, potest tamen agere vel facilius, vel difficilius; siue ut loquitur Vasques, quæ potest maiori & minori impetu moveri ad operandum; cohiberi ab operatione, & ad eam applicari. Potentia verò determinata dicitur illa, quæ quamprimum applicatur, statim agit quantum potest: grauitas v. g. lapidis statim deorsum trahit quantum potest; oculus obiecto & lumine applicato, quantum potest agit. Huiusmodi etiam sunt potentie omnes non vitales, v. g. leuitas ignis; potentie vegetatiuæ, sensus omnes externi, in quibus omnibus propterea nulli esse possunt habitus: quod explicat Aristoteles 2. *Ethic. cap. 1.* exemplo lapidis, qui licet millies proiciatur sursum, nunquam tamen assuescit ferri sursum, eo quod ex sua natura sit determinatus ad motum deorsum. A priori ergo ratio est, quia omnis habitus facilitas quædam est: sed potentia quælibet determinata, quæ scilicet statim ac applicatur, statim agit quantum potest, non est capax facilitatis superadditæ, cum non agat aliquando facilius, aliquando difficilius: ergo sola potentia indeterminata est capax habituum.

§. II.

Virum in potentiis irrationalibus sint habitus.

E sunt phantasia, appetitus sensitivus, potentia motrix; nam sensus externos & potentias vegetatiuas exclusi nuper.

Prima dubitatio de phantasia.

Ratio dubitandi primo est pro phantasia, quia nulla potentia capax est habitus, quæ ad vnum est omnino determinata: phantasia bruti determinata omnino est ad apprehendenda obiecta eo tantum modo, quo species illa representat: ergo in phantasia bruti non potest esse habitus. Imò si non sint habitus in appetitu brutorum, non sunt etiam in phantasia. Denique ovis dum videt lupum prima vice, non minus illum fugit, quam si centies illum viderit: ergo signum est non esse habitum in phantasia bruti.

Secunda dubitatio de potentia motrice.

Secundo pro potentia motrice maior est difficultas; illa enim potentia, quæ despotice subditur voluntati, est planè determinata; nam subdi despotice nihil aliud est quam imperantis nutum toto nisu sequi: sed potentia motrix despotice subditur voluntati: ergo est omnino determinata & incapax habitus.

Tertia dubitatio.

Tertio tota facilitas, quæ sentitur in membris ad saltandum, scribendum, citharizandum, potest saluari per habitum in imaginatione acquisitam, & per excitationem humorum corporis: ergo non est ad illa opus habitus.

Conclusio affirmans.

Dico primo. In phantasia, tum hominis, tum bruti veros esse habitus quoad aliqua. Ita docent

A omnes communiter cum S. Thoma & Scoto.

Ratio est, quia triplex apparet in animalibus genus actuum. Primum est eorum, quibus mouentur ab homine; sic enim mira videmus & legimus de animalibus, quæ docentur cantare, saltare & alia huiusmodi apud Plinium *lib. 8. ad 12.* Maiolium *colloquio 6. & 7.* Alterum genus est eorum actuum, quos seipsis operantur; sed non ita tamen ut ad illos determinata sint ex instinctu naturæ; huiusmodi sunt recordationes & iudicia quædam virtualia. Vltimum genus eorum est, ad quos ex instinctu naturæ sunt planè determinata; ut ovis ad fugiendum lupum. Ad vltimum istud genus actuum certum est, nullos in phantasia brutorum dari habitus, cum ad illos sint omnino determinata. De aliis duobus dubitari non potest, quia animalia multa disciplinæ capacia sunt, cum discant opera facere mirabilia; elephantes v. g. saltare ad numeros. Deinde videmus bruta promptiora fieri ad iudicandum de conuenientia, & de disconuenientia obiectorum quorundam; equus v. g. qui viam aliquam difficile ingrediebatur, acquirit assuetudine promptitudinem; neque hoc soli speciei tribui potest, quia illam ab initio equus habuit perfectissimam.

Probatio.

C De phantasia verò ipsius multò id est evidentius; quia hominis appetitus rationi obedit aliquando facilius quam aliis; nam viri perfecti nullam aliquando sentiunt difficultatem in iis actibus, quos prius valde auerfabantur: ergo illi minus disconuenientes à phantasia proponuntur quam antea.

Dico secundo, nullos esse habitus in appetitu brutorum; esse autem in appetitu sensitivo ipsius hominis.

Appetitus.

Ratio est, quia nulla omnino est indeterminatio in appetitu brutorum; nam is antequam phantasia determinatè proponat obiectum ut prosequendum, vel fugiendum, nihil appetere prorsus potest; obiecto autem proposito, necessarîo appetit, vel fugit; neque magis est indeterminatus, quam corpus graue ad descendendum: ergo in appetitu nulli sunt habitus.

D Non est autem par ratio de sensitivo appetitu hominis; nam ille subest politice rationi: ergo habet quandam indeterminationem: unde experimentum appetitum post multos actus minus rationi contradicere; habitus ergo sunt in illo appetitu. Itaque si consideretur appetitus sensitivus hominis in ordine ad imaginationem, est potentia æquè determinata ac appetitus bruti; sequitur enim ea quæ imaginatio proponit. Si verò consideretur in ordine ad rationem, cui politice subest, habet quandam indeterminationem; & in eo disparitas est appetitus hominis, & appetitus brutorum.

Dico tertio, in potentia motrice animalium dari veros habitus. Ita tenent Scotus in 3. *dist. 33. quæst. 1.* Okamus *ibidem quæst. 10. & 11.* Gabriel *ibidem dist. 23. quæst. 1. art. 1.* Gregorius *quæst. 5. prologi.* Contrarium docent cum S. Thoma 1. 2. *quæst. 50. art. 3.* Suarez, Vasques, Valentia, Fonseca.

Potentia motrix.

Ratio est, quia licet aliqua sint, in quibus potentia motrix subditur despotice voluntati; si enim volo aperire oculos, aperio; si mouere manum, moueo: multa tamen sine dubio sunt, in quibus potentia illa non subest imperio voluntatis, v. g. in iis quæ pendent ab arte; sciat enim aliquis v. g. quomodo saltandum sit, aut citharizandum; non peritè tamen saltat aut citharizat, quantumvis imperet voluntas saltationem, aut cithari-

Xx 4

cithari

citharizationem. Vnde argumentor. Omnis potentia indeterminata est capax habitus: potentia motrix aliquo modo est indeterminata, cum in iis quæ spectant ad artem, non sufficiat imperium voluntatis, neque scientia etiam intellectus: ergo potentia motrix est capax habitus. Et sanè conuincit certa experientia, quia post frequentatos multos actus experimur facilitatem, v. g. in cantu, salutatione, citharizatione, scriptione; ita ut homo illa omnia faciat, nihil penè cogitans: illa facilitas index est noui habitus; quæto enim quare idem homo scribat semper eodem modo? vnde quilibet dignoscere facillè possit illius manum? nisi quia in potentia motrice productus est habitus.

Quod enim saluari ea omnia non possint per habitum insidentem imaginationi & intellectui, conuincitur ex eo, quod (ut dixi) multi sciunt quomodo saltandum sit aut citharizandum; neque tamen saltare potènt sciant, aut citharizare: scientia ergo illa non sufficit, sed præter eam habitus etiam requiritur.

Ad primum respondeo negando, quod phantasia huius sit ad vnum planè determinata, ita ut non possit præceptis, aut tardius fieri in rem eodem modo representatam; nam quamuis brutum apprehendere aliud non possit, quàm quod ipsa species representat; apprehendit tamen aliquando facillè, aliquando difficillè id quod representat species. Neque par est ratio appetitus brutorum, in quo, ut dixi, nulli sunt habitus, quia nulla est indeterminatio, quæ tamen est in phantasia. Quod additur de oue fugiente lupum, solum est ex eo quod dixi, nullum esse habitum in phantasia quoad eos actus, ad quos brutum determinatur per instinctum.

Ad secundam & tertiam satis ostensum est, potentiam motricem quoad aliquos actus esse indeterminatam, & non subdi despotice voluntati; neque saluari posse maiorem illam facilitatem per excitationem membrorum, cum eadem maneat eorum figura & temperies; neque per species aut habitus imaginationis & intellectus, cum etiam illis positis difficultas maneat in potentia motrice.

Tantum quæri posset, verum illi habitus potentie motricis sint in corpore, an verò in ipsa potentia? Respondeo autem illos esse in solo corpore, cum potentia motrix spiritalis sit in homine, & indistincta prorsus ab anima.

§. III.

Verum in potentiis rationalibus sint habitus.

Triplex dubitatio.

Ratio dubitandi primò est, quia intellectus tam est potentia necessaria, quàm oculus; tam enim vero non potest dissentiri, quàm oculus obiecto: ergo tam est incapax habitus.

Secundò, vel intellectus indiget habitu ad propositiones notas ex suis terminis, vel ad eas quæ notæ sunt per discursum: ad neutras indiget habitu; propositionibus enim per se notis assentitur per solam explicationem terminorum; notis autem per discursum assentitur necessario, saltem quoad specificationem, & fortassis etiam quoad exercitium: ergo, &c.

Tertiò positis habitibus intellectus explicari commodè potest facilitas maior quæ sentitur in voluntate sine ullo habitu producta in ipsa voluntate.

In intellectu sunt habitus.

Dico quartò, negari nullo modo posse veros habitus in intellectu, saltem quoad partem iudi-

catuam, & quoad partem apprehensiuam eorum quæ non cognoscit intuitiue.

Ratio est, quia intellectus non subest voluntati despotice, sed politice; licet enim non sit potentia libera, neque veritati euidenti possit dissentiri, habet tamen quandam indeterminatam quoad promptitudinem, quando proponuntur obiecta minùs euidencia; est enim aliquo modo indifferens, primò in ferendo iudicio de rebus iis, quarum cognitionem non assequitur euidenter, quales illæ sunt quæ cadunt sub opinionem, vel fidem: secundò in artibus, quas, ut patet, vlti ad discit; imò etiam in obiectis euidentiùs abstractiue cognitis.

Dico quintò, esse quoque in voluntate veros habitus.

Ratio est, quia illa est potentia omnium maxime indeterminata, cum formaliter libera sit: ergo illa maxime capax est habituum. Imò certum est, virtutes morales esse veros habitus, cum maiorem experiantur facilitatem ad exercendos earum actus post diuturnam exercitationem.

Ad primam respondeo, intellectum esse quiddam potentiam omnino necessariam & æquè determinatam ac oculum priore illo modo determinationis nuper exposito, qui opponitur liberati; sed nego illum esse æquè determinatum posteriore modo determinationis quoad facilitatem & difficultatem; quia subest politice voluntati in iis, quæ non cognoscit omnino euidenter.

Ad secundam respondeo, intellectum non egerè habitu ad propositiones per se notas, quæ sunt principia vniuersalissima, ut constat ex dictis in Logica de habitu principiorum. In aliis dico illum habitu egerè, quantum necessitatur ad eliciendam conclusionem positis præmissis; quia facilitas habitus non in eo consistit, ut positæ præmissæ eliciat conclusionem, sed ut tales viuper præmissæ ad talem eliciendam conclusionem.

Ad tertiam satis probatum est, facultatem quæ sentitur in voluntate, non posse saluari per solam cognitionem intellectus, cum vitioliores sepe sint peritiores.

SECTIO III.

De causa per quam effectiue habitus producit.

Hæc est causa efficiens habituum, de qua potissimum controuertitur. Primò, quænam causa primò illum producat: secundò, quænam causa illum intendat: tertiò, quænam causa illam extendat: quartò, quænam destruat.

§. I.

Quænam causa producat primò habitum.

Est, verum actus ipse transiens producat habitum permanentem; an verò potentia illum producatposito actu; & si actus producat habitum, qualis actus illum producat.

Ratio dubitandi primò est, quia sola voluntas producat habitum, si sola illum conseruat: sed sola voluntas habitum conseruat; actus enim qui præterit, non conseruat habitum; & Deus non potest conseruare habitum vitiolum, qui res est mala: ergo sola potentia producat habitus.

Secundò, habitus cum sit aliquid permanens, nobilior